



URANIES NORICÆ B A S I S ASTRONOMICO- GEOGRAPHICA.



Eographiam comparari studio non ab omnibus tractari videmus: Sunt enim, qui tirones eo usque introducunt, ut globum hunc terraqueum, quatenus iste nobis innotuit, & partes ejus ita describunt, ut, in quas haec subdividantur regiones, Imperia etiam & Regna, quibus pareant istæ, corundemque origines enumerare, & quoque gentes variæ confiniorum suorum terminos vel olim extenderint, vel fatorum vicissitudinibus huc illuc actæ, quas tandem obtinueré sedes, sibi fixerint, recensere nōrint; sicque nominationibus antiquis, earumque cum hodiernis habitâ collatione & interpretatione variâ, situque locorum & tractuum, vicinis montibus, flaviis, maribus aliisve limitibus circumseptorum eorundemque amplitudine qualitercunque indigitatis, contentos, quantum, pro cognitione historiarum, Theologiæ, Politicæ, Physicæ aliisque scientiis inservientium, sufficiat, addidicisse existimant.

Istam Geographiæ exercitationem *Historicam* haud incongruè dixeris, *Mathematicam* autem, quæ non in transitu, velut illa, sed ad rem penitus intenta, adjutrice Astronomiâ, molem terraqueam in universum, quatenus ea quanta est ac mensurabilis, tum secundum se, tum ^{Geographia Historica, Mathematica} præf. in quoad proprietates, quas ex positione ad cœlum relata nanciscitur, considerat & docet accuratiùs, cum Ptolemæo etiam antiquissimo illo Cosmographo Tellurem cognitam picturâ imitari conatur & contemplatione sublimiore eâq; pulcherrimâ, loca ejus singula, sub quibus sphæræ cœlestis parallelis sita sint, dierum etiam & noctium magnitudines, quæque sydera singulis verticalia fiant, quæve super Terram aut sub Terra semper ferantur, & cetera omnia quæ de habitationis nostræ ratione percipi queunt & differi, rationibus ostendit mathematicis.

A

Geogra-